

- etsi consilium quod cepi rectum esse et tutum scio.
 nam apud patrem tua amica tecum sine metu ut sit copias-
 tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via,
 quod ut efficerem orando surdas iam auris reddideras mihi. 330
- 90 quid aliud tibi vis? *CLIT.* siquidem hoc fit. *SY.* siqui-
 dem? experiundo scies.
CLIT. age age, cedo istuc tuom consilium: quid id est?
SY. adsimulabimus
 tuam amicam huius esse amicam. *CLIT.* pulchre: quid
 faciat sua?
 an ea quoque dicetur huius, si una haec dedecorist parum?
SY. immo ad tuam matrem abducetur. *CLIT.* quid eo? 335
SY. longumst, Clitipho,
 95 si tibi narrem quam ob rem id faciam. *CLIN.* vera causast.
CLIT. fabulae!
 nil sati' firmi video quam ob rem accipere hunc mi expediat
 metum.
SY. mane, habeo aliud, si istuc metui', quod ambo confitea-
 mini
 sine periculo esse. *CLIT.* huius modi obsecro aliquid reperi.
CLIN. maxume.
- SY.* ibo obviam, hinc dicam ut revertantur domum. *CLIT.* 340
 hem
 100 quid dixti? *SY.* ademptum tibi iam faxo omnem metum,
 in aurem utramvis otiose ut dormias.
CLIT. quid ago nunc? *CLIN.* tune? quod boni.. *CLIT.*
 Syre! dic modo